

monio soboles patri agnascatur, D. Tulden, *ubi sup.*, n. 5. VINN. Hac legitimatio tantum in bonis legitimantis tribuit legitimario quantum liberis legitimis jus natura. Si tamen filii legitimi post legitimatorem nascantur, legitimari a successione excluduntur, præterquam si parentes quintam bonorum partem inter vi-

vos donaverint vel ex testamento legaverint; in ceteris vero rebus veluti in successione cognatorum, honoribus ac dignitatibus pari jure cum legitimis censentur, l. 12. *Tauri*. Ad majoratus tamen & feuda hac legitimatio non extenditur, auctore Molina de *primogeniti lib.* 3, c. 3, ubi late de hoc argumento disputat. ADD.

## TITULUS XI.

## DE ADOPTIONIBUS.

D. lib. 1. tit. 7. C. lib. 8. tit. 48. Et Part. 4. tit. 16.

1. Continuatia & summa tituli; tum quid sit adoptio & quam antiqua ejus origo.  
2. Hæc adoptio ab usu recessisse.

1. **E**Xpositi sunt in superiori titulo duo priores modi constituendæ patrie potestatis, nuptiæ & legitimatio; sequitur nunc tertius, & adoptio. Adoptio est actus legitimus quo in jus & locum filiorum tam adsciscimus qui nobis extranei sunt in solatium eorum qui liberos non habent, (*παιδο τινος μαγαλειται εταδων*) inventas. Græcis vocabulo significantiore dicitur *θεωδοια*. Genus est actus legitimus sive legis actio, l. 3. §. 4. hoc tit. l. 1. C. eod. que quid sit dicemus inferius §. 1. *hujus tit.* Sequentia differentiam continent qua hæc actus a reliquis legis actionibus discernitur, quales sunt emancipatio manumissio & si que sunt similes. Postrema verba finem indicant quem etiam Theophilus expressit, & indicat Ulpian. l. 15. §. 2. hoc tit. itemque Cicerone orat. *pro domo sua*. Tria autem fere sunt que hoc tit. tractantur. Primum dividitur adoptio in duas species que suis definitionibus explicantur, tum docetur qui adoptare adoptari-ve possint; postremo que sit vis utriusque adoptionis ostenditur.

Origo adoptionis antiquissima est. Non enim Romani solum verum etiam Græci in solatium orbatis filios sibi adsciscere solebant ut ex Ægænetico Isocratis & Plutarcho in *Tertio* liquet. Apud Hebræos quoque & Assyrios atque Ægyptios in usu fuisse adoptionem testes sunt Joseph. 1. *antig.* 15. Diod. Siculus 4. *Biblioth.* Moses a filia Pharaonis adoptatus tradit *Exod.* cap. 2. v. 10. Nec Franci olim nec Longobardi usum adoptionis ignorarunt, ut ex Paulo Diacono & Trithemio observav-

vit Gregor. Tholosanus lib. 10. *synagm.* cap. 6.

2. Ceterum hodie in hisce regionibus jure veteri adoptionis non utitur; nam adsciti a nobis non pro liberis sed pro alumniis sunt, hoc est eo loco quo sunt liberi alieni quos ut nostros enutrimus, quos quidem nihil prohibet etiam heredes insituere ut quemlibet extraneum, liberorum autem jure non censentur nec agnationis. Apparet hoc ex effectis; nam & nuptiæ inter has personas consistunt sicut cum alumna jure civili; l. 11. qui 26. C. de nupt. quo tamen jure neque filia patri adoptivo neque soror adoptiva fratri qui in ejusdem patrie potestate sit nubere potest, §. 1. & 2. *tit. præced.* Et necesse non est eas heredes insituere aut exheredare ut jure Romano liberis adoptivis, §. adoptivi 4. *infra* de exhered. lib. Nec ad successionem ab intestato vocantur vel ut liberi vel ut agnati aut cognati. De moribus harum regionum testantur Grot. 1. *mand.* 6. Gudelin. 1. de *jur. nov.* 15. Christian. vol. decis. 187. De consuetudine Galizæ Mansuet. de *probat.* n. 34. Tiraq. *tract. de retract. glo.* 8. §. 1. ubi tradit nec jus gentilitii retractus adoptatis competere, & Gregor. Tholos. *ubi sup.* Fallitur ergo D. Eguin. Baro dum ea que de adoptivis jure Romano constituta sunt adhuc valere debere ideo contendit quo nihil de iis comprehensum sit legibus Galorum propriis, constatque inter Pragmaticos, quod jure proprio defunctum non est jure communi hoc est Romanorum dirimi, quo etiam constitutiones Principum non identidem remittunt. Etenim non minus de eo inter homines Pragmaticos convenit, si quando Principes jubent jus Romanum sequi ubi propriæ leges deficiunt, id ita accipiendum esse ut locam dumtaxat habeat si jus Romanum

## COMMENTARIUS.

1. Adrogationes olim non nisi auctore populo curiatis curiatis fieri solitas; & ideo mutato statu Reip. Principis auctoritatem in hoc actu necessariam fuisse.  
2. Adoptio in specie apud quos ritu olim fuerit; & quomodo nunc fiat.

generali & manifesta desuetudine abrogatum non sit. Nam neque de servis quidquam cautum propriis plerumque regionum legibus reperimus; an ergo idcirco dicemus servitutum ibi tacite approbatam censeri? Quod ideo monere visum est ne quis in hujusmodi controversiis hoc argumento sibi imponi patiat. VINN. Licet ea que Justinianus in hoc titulo de adoptionibus tradidit transcrita sint in *tit.* 16. *Part.* 4. adoptiones tamen apud Hispanos non frequentati quotidianus usus demonstrat. Itaque quod de suis regionibus Vinnius docet id ad jus no suum merito retuleris. ADDIT.

## TEXTUS.

## Continuatio.

Non solum autem naturales liberi secundum ea que diximus in potestate nostra sunt, verum etiam ii quos adoptamus.

## COMMENTARIUS.

**F**iliosfam. non solum natura verum etiam adoptiones faciunt, l. 1. hoc tit. Per naturales liberos hoc loco intelligi oportet eos qui sunt ex justis nuptiis procreati; ea enim perpetua est naturalium liberorum significatio cum, opponitur adoptivis, utpote legitimis tantum & diverse ejusdem generis speciei, §. *sed ii 7.* *infra* eod. §. *adoptivi 4.* *infra* de exhered. lib. §. 2. *infra* de *inoffic. test.* l. non potest 31. hoc tit. l. 2. §. *liberi 6.* ad *Senatusconsult. Teri.* At cum naturales opponuntur legitimis in genere, qui legitimis non sunt significantur & naturales dumtaxat, §. *ult. tit. superior. tot. tit. C. de natur. lib.* quod & in voce parentis aut patris naturalis similiter observandum.

## TEXTUS.

## Divisio adoptionis.

1. Adoptio autem duobus modis fit, aut Principali rescripto aut imperio Magistratus. Imperatoris auctoritate adoptare quis potest eos earum que quæve sui juris sunt, que species adoptionis dicitur adrogatio. Imperio magistratus adoptamus eos earum que quæve in potestate parentum sunt, sive primum gradum liberorum obtineant qualis est filius filia, sive inferiorem qualis est nepos nepis pronepos proneptis.

**D**ue sunt species adoptionis, quarum altera adrogatio dicitur, altera quia proprio caret, generis nomine adoptio appellatur, quod in jure nostro frequenter usu venit. Nam cum plura sint negotia quam vocabula, l. 4. de *præscr. verb.* sæpe fit ut verba que vi sua generalem significationem habent ex instituto loquentis certam speciem indicent, eam nimirum que proprio nomine desinitur, & qui fere tum species ejusdem generis que proprium nomen habet opponi aut apponi solet, ut observare licet in vocibus cognationis, servitutis, contractus, actionis & sexcentis aliis.

1. Adrogatio est adoptio eorum qui sunt sui juris facta auctoritate Principis. Duo igitur sunt hujus adoptionis propria, primum quod eorum tantum est qui sui juris sunt, alterum quod fieri debet auctoritate Principis. Cur vero Principis auctoritas in hoc actu necessaria? Nimirum quia antea populi fuit. Nam jure a majoribus prodito nemo qui sui juris erat in alienam potestatem transire poterat nisi populus auctor fieret. Comitibus præbebantur curiatis, arbitri erant Pontifices, formula hæc: *Velitis, jubeatis, Quiritibus, uti L. Valerius L. Titius tam jure legere filius sitis quam si ex eo patre matreque familia ejus natus esset; utique ei vitæ necisque in eo potestas sit, uti patri in dō filio est.* Gell. 5. cap. 19. Gruch. 3. de *comit. Rom.* 3. Porro rogabatur & qui adoptabat & qui adoptabatur, ille an vellet eum quem adoptaret sibi justum filium esse, hæc an id fieri pateretur; unde & adrogationem dictam esse scribit Cælius l. 2. hoc tit. Er haud dubie inde est quod adrogari non potuit nisi jam vesticeps; nam impubes, quem investem dicebant, auctor in eam rem propter ætatem fieri non poterat, neque tutoribus tanta erat potestas ut caput liberum fidei suæ commissum alienæ ditioni subicerent. Et quia cum feminis nulla comitorum communio erat, nec mulier adrogari poterat, Gell. d. loc. Cic. *pro dom.* Hæc inquam stante adhuc Republica, cuius statu mutato, quod jus populi fuit Principes usurparunt, ex quorum rescriptis & fe-

minæ & impubes etiam adoptari coeperunt, l. nec ei 16. cum 199. hoc tit. Ulp. tit. 8. §. 4.

2. Adoptio in specie eorum est qui sunt in potestate, & sique auctore patre qui in potestate habet, apud magistratum apud quem est legis actio, l. 4. hoc tit. l. 1. C. eod. l. 3. de off. procon. Legis actio est id quod fit ex prescripto & formata legis cum solemnibus ad rem aliquam peragendam constitutis, quibus solemnibus peragendis si lex magistratum designaret penes cum dicebatur esse legis actio. Ceterum etiam apud Principem recte lege agi ostendit, l. ult. C. de his qui à non dom. man.

Et quemadmodum hujusmodi actus cum sint voluntarie jurisdictionis quibus alius magistratus apud se expedire potest, l. 4. hoc tit. l. 2. de off. procon. ita & Principes tamquam summus magistratus. Quo pertinet quod de Augusto refert Suetonius c. 64. Cajum & Lucium, inquit, adoptavit domi per assem & Iuliam emtor à patre. Agrippa. De hac specie adoptionis ita scribit Gell. dict. loc. Adoptantur cum à parente in cuius potestate sunt, tertia mancipatione in jure ceduntur, atque ab eo qui adoptat, apud eum apud quem legis actio est venduntur. Interveniunt tres mancipationes sed duæ tantum manumissiones, l. ult. C. hoc tit. Nam si filius ter venditus tertio quoque manumissus fuisset, ut in liberorum emancipatione, sui juris tertia manumissio factus esset. Itaque tertio ita vendebatur ac mancipabatur adoptatori, ut ei in jure cederetur isque illum tamquam filium suum assereret, & jure Quiritium ad instar quodammodo servi vindicaret; quod jus patrem ex lege Quiritium habuisse testatur Ulpian. l. 1. §. 2. de rei vind. Ceterum tres hæ mancipationes & duæ manumissiones in filiorum duntaxat adoptionibus necessaria erant; filii autem & ceteri liberi una tantum mancipatione & potestate patris sui exhibent & potestati patris adoptivi subijcebantur, d. l. ult. C. hoc tit. Quæ omnia procedente tempore pro imaginariam mancipationis solemnitate expediri coeperunt, §. 6. tit. reg. quæ & ipsa postea à Justiniano sublata, constitutumque ut pater qui liberos suos in adoptionem dare desiderat hoc ipsum adis intervenientibus solammodo apud competentem judicem manifestet, præsentem eo qui adoptatur & non contradicente, nec non eo præsentem qui adoptat, d. l. ult. C. hoc tit. §. anteq. inf. eod. De mancipationis solemnibus studiosi Antiquitates consulant Boët. in Top. Cic. Revard. cap. 16. ad leg. XII. tabb. Brisson. lib. 1. antiq. cap. 7. de legis actionibus, & lib. 4. antiq. cap. 20.

Vinn. Recte quidem Vinnius rationem redditur cur adrogationes fieri oportuerit auctoritate Principis, quia nimirum antea auctoritate populi opus fuerit; sed cur populus olim jussedit adrogationes, & cur Pontificum quoque adhibita fuerit auctoritas paucis addendum. Homo sui juris erat civis, adeoque caput de civitate non poterat eximi nisi auctore populo. Deinde adrogatus non poterat nisi alia lege hereditate intestatorum non poterat nisi alia lege mutari, ut acute docuit & pater Bynkershoek observ. lib. 2. cap. 2. p. 113. Pontifices vero adhibebantur non ob jurisjurandi religionem, uti existimavit Jan. Vinc. Gravina de legg. XII. tabb. §. 85. p. 453. sed quia adrogatus particeps fiebat sacrorum gentilium, quæ notio Pontificum erat. Cic. pro dom. cap. 13. Omnia hæc non erant necessaria postquam Imperatores mania legum & magistratum immo & Pontificum ad se traxerant nullo adversante. Hein.

## TEXTUS.

Qui possunt adoptare filiumfamilias vel non.

2. Sed hodie ex nostra constitutione cum filiusfamilias à patre naturali extranea persone in adoptionem datur jura patris naturalis minime dissolvuntur, nec quicquam ad patrem adoptivum transit nec in potestate ejus est, licet ab intestato jura successionis ei à nobis tributa sint. Si vero pater naturalis non extraneo sed avo filii sui materno, vel si ipse pater naturalis fuerit emancipatus, etiam avo vel proavo simili modo paterno vel materno filium suum dederit in adoptionem, in hoc casu quia concurrunt in unam personam & naturalia & adoptionis jura, manet stabile jus patris adoptivi, & naturali vinculo copulatum & legitimo adoptionis modo constitutum, ut & in familia & in potestate hujusmodi patris adoptivi sit.

## COMMENTARIUS.

Olim quavis adoptione jus patris naturalis extraneæ abrogatur, isque qui in adoptionem etiam extraneæ persone dabatur in patris adoptivi familiarum & potestatem transibat. Ex quo jure cum non levit incommoda consequi Justiniano viderentur, propterea quod fieri poterat ut filius & patris naturalis successionem amitteret propter adoptionem & patris quoque adoptivi adoptione per emancipationem solu-

## DE ADOPTIONIBUS.

Jura, §. 14. infr. de ber. qua ab intest. l. pen. C. hoc tit. (ego unum tantum casum invenio, nimirum si filius post mortem patris naturalis emancipatus esset, §. 10. inf. d. tit.) His incommodis sic occurrere posse creditur si jura patris naturalis integra servarentur, quando filius extraneæ personæ in adoptionem daretur; quod & efficit constitutione sua, d. l. pen. Extraneam autem personam intelligit omnem quæ extra lineam parentum sit; unde qui à patre aut avunculo adoptati sunt perinde haberi debent ac si à quovis extraneo adoptati forent.

Licet ab intestato jura successionis] Hoc ei à Justiniano specialiter tribuitur. Ceterum impune a patre hujusmodi adoptivo præteriti potest, alio herede instituto, d. l. pen. §. sed ne 1. d. §. 14. inf. de ber. qua ab intest.

Etiam avo vel proavo simili modo paterno vel materno] Legendum: etiam avo paterno, vel materno, simili modo, paterno vel materno, non tam quia ita legitur in d. l. pen. unde hæc transmissa sunt, quam quod hanc lectionem flagitate manifesta ratio juris.

Legitimo adoptionis modo constitutum] in d. l. pen. legitur legitimo adoptionis modo constitutum. Notat hic Interp. duo vincula fortius ligare quam unum. Sed aliud significare voluit Justinianus, nempe concurrente hujusmodi naturali vinculo cum civili adoptionis cessare metum superioris incommodi.

## TEXTUS.

De adrogatione impuberis:

3. Cum autem impubes per Principale scriptum adoptatur, causa cognita adrogatio fieri permittitur, & expulsiur causa adrogationis an honesta sit, expulsiurque pupillo; & cum quibusdam conditionibus adrogatio fit, id est ut caveat adrogator persone publicæ si intra pubertatem pupillus decesserit restitutum se bona illi qui si adoptio facta non esset ad successionem ejus venturi essent. Item non aliter emancipare eum potest adrogator nisi causa cognita dignus emancipationis fuerit, & tunc sua bona ei reddat. Sed & si decedens pater eum exheredaverit vel vivus sine justa causa emancipaverit, jubetur quartam partem ei bonorum suorum relinquere, & videlicet præter bona quæ ad patrem adoptivum transiit & quorum commodum ei postea acquisiit.

## NOTÆ.

3. Causa cognita] Causæ cognitio olim à Tom. I.

collegio Pontificum, Cic. pro dom. c. 13. hodie à magistratu exercetur adhibito consilio propinquorum & tutoris auctoritate, l. 2. C. eod. l. ult. C. de auct. præsit. in adrogatione puberum, etiam curatoris, l. 8. ff. hoc tit. Quibus in rebus veretur docet Ulp. l. 15. §. pen. & ult. l. 17. per tot. eod.

Et tunc sua bona] Abusive, ut sæpe alibi, pro bona ejus; impuberis scilicet adrogati. Pacius.

Relinquere] Recte relinquere ut intelligamus non prius eam debere quam adrogator decesserit, d. l. 1. §. 2. de coact.

## COMMENTARIUS.

1. In adrogatione impuberum que cognoscenda & excutienda.

2. Quid, cui caveat adrogator, tum ad quos ea res pertinet.

3. Utrum quarta, que vulgo D. Pii, sit quarta pars totorum bonorum adrogatoris, an portio ab intestato impuberi debita, & si hoc, num etiam illa aucta censeri debeat.

1. Impubes antea adrogari non poterant ut supra indicavimus, nunc autem possunt ex constitutione D. Antonini, auctore Ulp. in fragm. tit. 8. sed non aliter quam causa apud magistratum cognita, l. 15. §. 2. ff. hoc tit. l. 2. C. eod. Causæ cognitio in multis vertitur. Primum excutiendum quæ sint facultates pupilli, quæ ejus qui eum adoptare volet; deinde ejus vitæ sit & quibus moribus adrogator; tertio ejus ætatis; an non melius sit eum de liberis procreandis cogitare quam ex aliena familia sibi filium accersere; ad hæc num liberos habeat justis nuptiis procreatos quorum spem sine magna causa deminui non oportet; postremo etiam conjunctio spectatur, nec facile quam pupillum adrogare permittitur nisi quem vel naturali cognatione vel aliqui sanctissima affectu duci appareat, d. l. 15. §. 2. l. 17. eod. Pleraque tamen hæc capita communia videntur fuisse cum puberum adrogationibus, ut illa de ætate, liberis, moribus & facultatibus adrogatoris. Certe olim apud Pontifices hæc etiam in adrogationibus excussa fuisse arguit locus Ciceronis in oration. pro dom. c. 13. Quid inquit, est jus adoptionis, Pontifices? Nempe ut is adoptet qui nec jam procreare liberos potest, & cum posset, sit expertus; tum ne qua calumniam fraudis aut dolus adhibeatur. Causa autem nunc cognoscitur à magistratu adhibito con-

sensu propinquorum pupilli, l. 2. C. cod. & tutoriam quoque auctoritate, l. ult. C. de auctor. prest. In minorum quoque adrogatione post constitutionem Claudii curatoris auctoritas intercedere debet, l. 8. ff. de adopt.

2. *Ut caveat adrogator persone publicæ* ] Hoc proprie servatur in adrogatione impuberis. Caveat nimirum satisfado, id est fideiussoribus datis, l. 18. cum seqq. cod. Caveat autem non ipsis ad quos ea res perventura est, sive quod incerti sint, sive quod non omnes sunt ii qui sibi stipulari possint, sed persone publicæ, hoc est Tabulario sive Scribæ Curiarum aut magistratum municipium qui aliis stipulando adquirere potest. Servos olim publicos fuisse constat, d. l. 18. hoc tit. l. 2. rem pub. talio, for. l. ult. C. de serv. resp. man. Primi Atacidi & Honorius caverunt se servi Tabulario proficientur, l. 1. C. de tabul. ubi Cujac. Sed etsi omnia fuerit satisfado utlem nihilominus actionem in adrogatorem dari responsum est, l. 19. §. 1. hoc tit. Vinn. Addendus hic omnino Franc. Amaya Ictus Hispanus ad l. 3. C. de tabul. scrib. locograph. lib. 10. ubi quid sit tabulario satisfado egregie explicat. HEIN.

Ad successionem ejus venturi essent ] Pars hæc cautio in d. l. 18. ita concepta est, ad quos ea res perventura est, & in l. 19. seq. ad quos ea res pertinet: quibus verbis significatur non ii tantum qui ad successionem impuberis venturi sunt, quales sunt heredes impuberis, sive illi ab intestato veniant, sive secundis tabulis à patre pupillo dati; sed etiam legatarii & servi quibus secundis tabulis legata aut libertates datae sunt: in summa omnes ad quos aliquid perventurum fuisset si adrogatus manisset in suo statu, d. l. 11. Habet autem hæc cautio locum si adrogatus impubes decesserit, l. 20. de adopt. adventente vero pubertate evanescenti, perindeque habetur ac si jam pubes adrogatus esset; quo casu cautio non est necessaria, cum quilibet pater sui adhuc juris ipse testamentum facere cognatosque excludere possit, l. 9. qui test. fac. poss.

Dignus emancipationem ] Puta si quid commiserit adversus patrem adoptivum propter quod merito à domo ejus exheredari possit, ad quæ causa est quod nihilominus tam impio filio bona sua restituerunt? Hotomannus existimat id constitutum esse ad vitandam omnem improbitatis suspicionem qua alioqui pater adoptivus facile onerari possit.

Decedens exheredaverit ] Intelligerem sine justa causa; nam si justa exheredationis cau-

sa sit, non video cur præter bona sua aliquid recipere debeat aut plus quam cum ex justa causa emancipetur. Sed obstare videtur responsum Ulp. in l. 8. §. si quis 17. de inoff. test. & objici potest quod cum justam causam haberet adrogator eum vivus non emancipaverit.

3. *Quarta pars* ] Hæc quarta vulgo D. Pii appellatur; eamque Interpretes arbitrantur non esse quartam omnium bonorum adrogatoris, sed tantum portionis ab intestato impuberi debite, nimirum eam ipsam ejusdemque quantitatibus quæ debetur aliis liberis, arg. d. l. 8. §. quantum 8. de inoff. test. Et certe nulla dari ratio potest quomobrem D. Pius meliorem esse conditionem voluerit adoptivorum quam naturalium, aut emancipati exheredative quam ejus qui sine nota in familia mansit, & heredis quem videlicet pater vel instituit vel ab intestato heredem relinquit datis fideicommissis, cui præter quartam partem debet ab intestato portionis nihil deberi in confesso est. Plerique tamen Recentiorum secus sentiunt propterea quod textus simpliciter loquuntur de quarta bonorum, l. ult. si quid in fraud. patro. l. 2. C. hoc tit. Sed responderi potest etiam quartam portionis ab intestato debite *divanios* (quodammodo) quartam bonorum dici posse, sicut legitima liberorum, quæ & ipsa quarta pars illius portionis est, quarta bonorum dicitur, l. 6. C. de inoff. test. vel potius quia fere unum tantum adrogari solet, & nemo adrogare nisi qui liberorum non habeat, l. 15. in fin. l. 27. §. pen. hoc tit. De illo non convenit inter Interpretes qui quartam hæc faciunt partem portionis ab intestato debite, an hæc quarta etiam aucta sit Nov. 18. Negat Mynsing, sed argumentis parum solidis. Ait, quartam eorum duntaxat d. Nov. auctam dici quibus antea querela inofficiosi testamenti competebat; adrogato autem non competit, d. l. 8. §. si quis 17. In quo fallitur. Nam certe ante D. Pii constitutionem non minus adrogato impuberi quam ceteris querela competeat; Divus autem Pius non minuit jus adrogati sed auxit, ut ei querela jam non sit necessaria, sed proprio & meliori jure quartam sibi debitam obtinere possit, d. l. 8. §. si quis 17. Hoc & Græcos sensisse argumentum est, quod illi *τὸ πλάγιον μέρος*, quod Theophilus ut paraphrastes hic retinuit, ex novo jure mutaverunt in *τὸ τρίτον* Mich. Bell. Sympt. Quod adjicit Mynsing, in correctoris nullam extensionem admittendam esse quam-

vis par ratio subsit aut etiam major, verum non est præterquam in iis constitutionibus quæ à ratione juris & æquitatis recedunt, qua de re qui vult consulat D. Pras. Everh. in topic. loc. 79. Itaque verior mihi videtur eorum sententia qui hanc etiam quartam auctam esse censent; ne pupillo noceat quod in favorem & commodum ejus constitutum est. D. Bachov. post Porc. & alios hæc VINN. Quamvis non iniqua sit hæc Bachovii quam auctor sequitur sententia, probabilius tamen est D. Pium quartam omnium bonorum intellexisse, partim quod semper in legibus quartæ bonorum fidei mentione, partim quod ea non prebatur querela inofficiosi sed actione familie circumsundæ, vid. vir clar. Schulting. *περὶ τῆς τῆς de adopt. & emancip.* Quæ cunctanter hic conjicit Vinnius, eos quibus liberi essent adoptare non potuisse, refellit Reinold. *var. cap. 41. p. 305.* Et sunt sane exempla quæ Vinnio possunt opponi, qualia & ante Reinoldum collegit clar. Perizon. *animadv. hist. cap. 3. p. 125. seq.* Sed idem tamen recte observat id non nisi difficulter concessum & non caruisse reprehensione. Ego id nunquam fere privatis concessum putaverim impuberes adrogaturis; adeoque vix incidere potuisse questionem quartane omnium bonorum an portionis legitime intelligenda sit in constitutione D. Pii? HEIN.

## TEXTUS.

## De ætate adoptantis &amp; adoptati.

4. *Minorem natæ majorem non posse adoptare placet: adoptio enim naturam imitatur, & pro minoris est ut major sit filius quam pater. Debet itaque ei qui sibi filium per adoptionem aut adrogationem facit, plena pubertatis, id est decem & octo annis procedere.*

## COMMENTARIUS.

Adoptio nature imago & similitudo quædam est, l. 23. de lib. & post. unde cum alia multa tum hoc quoque convenit, quod majorem natu minor adoptare non possit, cum per naturam filius non possit esse major pater. Quæ de causa Clodii adoptionem jure exagitat Cic. pro dom. cap. 13. *Filius es, inquit, filius ejus (Ponticii) contra factus, cujus per atatem pater esse potuisti, & similia sequuntur.*

Plena pubertate, id est decem & octo annis ] l. 40. §. 1. hoc tit. Cur autem octodecim

annis? Nam si nuptie post annum decimum quartum contrahi possunt, potest & quis filium habere ante hæc ætatem. Sed nimirum quia rarissime accidit ut masculi ante annum octavum decimum ad plenam pubertatem perveniant & liberos suscipiant, minor ætas in adoptione insuper habita est juxta l. 3. 4. & 5. de legib. Mynsingeri ratio nulla est, id ideo placere quia in adoptionibus, in quibus res per electionem agitur, firmitate opus sit judicis, quasi non nisi annuli aut bimuli adoptarentur. Nimirum etsi pubertatis initium est anno decimoquarto, inf. quib. mod. tut. fra. maturitas tamen denum anno decimoquarto, l. 40. §. 1. hoc tit. Paul. 3. ventur. 4. atque hæc ætate pubescere etiam *τὸ ἀναλίσκον ἄνθρωπος* (qui tarde) Theoph. In specie l. 14. pr. de alim. leg. est favor alimentorum.

## TEXTUS.

## De adoptione in locum nepotis vel neptis vel deinceps.

5. *Licet autem & in locum nepotis vel neptis, proneptis vel proneptis vel deinceps adoptare quamvis filium quis non habeat.*

## COMMENTARIUS.

Quamvis filium quis non habeat. ] l. 37. & 43. hoc tit. Dixeris hoc pugnare cum eo quod ante dictum est, adoptionem imitari naturam; natura enim fieri non posse ut quis nepotem habeat qui filium non habet. At, inquam, sufficit habere posse, hoc est ejus ætatis esse ut & filium & ex filio nepotem ea ætate habere poterim, quæ est in quem filium adoptare volo. Nam & qui uxorem non habet filium adoptare potest quamvis sine uxore pater esse non possit, l. 30. cod. Duplex igitur hic fictio est. De duplici fictione circa idem vide Vaud. 2. quest. 4.

## TEXTUS.

## De adoptione filii alieni in locum nepotis &amp; contra.

6. *Et tam filium alienum quis in locum nepotis adoptare potest, quam nepotem in locum filii.*

## COMMENTARIUS.

**Q**ui filius est patri naturali, potest per adoptionem nepos fieri patri adoptivo. & contra. Nam, ut bene Theophilus, necesse non est ut qui adoptatur eundem ordinem gradumque quem apud patrem naturalem habet, servet apud patrem adoptivum.

## TEXTUS.

De adoptione in locum nepotis.

7. Sed si quis nepotis loco adoptet, vel quasi ex filio quem habet jam adoptatum, vel quasi ex illo quem naturalem in potestate habet, eo casu & filius contentus debet, ne ei invito suus heres agnoscatur. Sed ex contrario, si avus ex filio nepotem det in adoptionem non est necesse filium continere.

## COMMENTARIUS.

**F**ilius consentire debet] Nimirum si nepos adoptetur quasi ex Lucio filio, verbi causa, natus. Nam si simpliciter adoptetur, & tamquam ex incerto filio nullius consensus desideratur; quia tunc cessat ratio juris que consensus requirit, de qua mox l. 41. §. 1. q. hoc tit. Quid ergo si nepotem adoptem tanquam ex Lucio filio meo natum, isque filius meus auctor non fuerit? an hæc adoptio plane nulla erit? an perinde habendum ac si simpliciter facta fuisset? quod magis probò cum D. Contio r. inbec. l. 8. in fin. arg. l. 11. hoc tit. Nam cum Jurisconsultus ibi de proposita specie hoc saltem respondit me mortuo non fore nepotem in potestate filii, satis indicat adoptionem quoad cetera valere.

Ne ei invito] l. 6. cod. Non videbatur consensus filii requirendus propter jus potestatis quod summum patris in filium habet. Sed nimirum vis adoptionis seu agnatio sui heredis in id tempus confertur quo patre mortuo filius jam sui juris & paterfamilias factus est.

Non necesse est filium] Quia nimirum nepos non in patris sui sed in avi potestate est. Potestas autem tanta vis fuit apud Romanos ut avus nepotem inconsulto filio, tamen id durum est, alii in adoptionem dare poterit.

Qui dari possunt in adoptionem.

8. In plurimis autem causis admissum in qui adoptatus vel adrogatus est ei qui legitimo matrimonio natus est; & ideo si quis per Imperatorem vel apud prætorem vel præsidem provincie non extraneum adoptaverit, potest eundem in adoptionem alii dare.

## COMMENTARIUS.

**I**n principio hujus tituli dixit non solum naturales liberos in potestate nostra esse sed etiam eos quos adoptavimus; unde sequitur, quemadmodum illi in adoptionem alii dari possunt ita & hos posse. In adrogatione nihil mutatum, ac ne in adoptione quidem in specie sic dicta quando non adoptatur extraneus. At cum extraneus adoptatus est alii rursus in adoptionem dari non potest, cum ex constitutione Justiniani nihil juris in hunc pater adoptivus habeat, l. pen. C. hoc tit. §. 2. sup. cod. eamque ob causam verba hæc à Triboniano hic addita sunt, non extraneum.

## TEXTUS.

Si is qui generare non potest adoptet.

9. Sed & illud utriusque adoptionis commune est, quod & si qui generare non possunt, quales sunt spadones, adoptare possunt, castrati autem non possunt.

## COMMENTARIUS.

**Q**ui generare non possunt] Id est, qui propter vitium aliquod quod tamen sanabile sit procreare non possunt, quales hic perhibentur esse spadones: qua quidem appellatione nonnumquam & castrati continentur, id est interea aliique quibus vis generandi in totum adempta, ut in l. 39. §. 1. de jur. dot. l. 4. §. 2. ad leg. Corn. de sic. l. 128. de verb. sign. ubi Alciat. Ceterum non raro & in specie accipiuntur, aque ad eos coangustatur qui ob impedimentum temporale & quod tolli queat generare non possunt. Ita usurpat à Pomp. l. 6. §. 2. de adit. edit. à Marcian. l. 14. §. ult. de man. vind. itemque à Cajo l. 2. §. 1. hoc tit. Glosse juris: spadones, et *quædam præterea præterea præterea* (frigidus) Imperator Leo etiam castratis

tis adoptare permittit ut injuriam illis illatam hoc solatio compensaret, Nov. Leon. 26. & seq.

## TEXTUS.

Si femina adoptet.

10. Femine quoque adrogare non possunt quia nec naturales liberos in sua potestate habent; sed ex indulgentia Principis ad solatium liberorum amissorum adoptare possunt.

## COMMENTARIUS.

**A**drogatio & adoptio jure veteri in eo discrepant quod femina adrogari non poterant, quia, ut supra diximus, adrogatio auctore populo in comitiis fiebat quorum nulla cum feminis communiō; adoptati autem non vetabantur. Nunc vero ex rescripto Principis etiam adrogari possunt, l. 21. hoc tit. Adrogare autem vel adoptare nec olim poterant nec nunc possunt. Ratio redditur à Justiniano, quia nec naturales liberos in potestate habent; quasi diceret absurdum esse ut majorem vim habeat fictio quam rei veritas, adoptio quam natura. Claudicare tamen videtur hæc ratio in extraneo adoptante, in cuius potestate licet adoptatus non sit tamen constat adoptio ex constitutione Justiniani, §. 2. sup. cod.

Ex indulgentia Principis] l. 29. §. 3. de inoff. test. non tamen ut filium habeant in potestate sed ut solatium orbitatis & hereditatem. Duobus igitur casibus filios tantum fieri adoptio, si femina jussu Principis adoptaverit, item si extraneus à patre naturali filium in adoptionem acceperit. Ceteri fiunt filii familias.

Ad solatium liberorum amissorum] Transscriptum hoc est ex l. 5. C. hoc tit. & de viduis haud dubie intelligendum; neque enim nuptis concedendum existimo ut scorsum sibi liberos adoptent. Imperator Leo & sine hac conditione feminis adoptare permittit etiam virginibus, Nov. Leon. 27. que in Oriente recepta. Harmenop. lib. 2. tit. 8. §. 4.

## TEXTUS.

De liberis adrogatis.

11. Illud proprium est adoptionis illius que per sacrum Oraculum fit, quod si qui liberos

in potestate habet, si se adrogandum dederit, non solum ipse potestati adrogatoris subjicitur, sed etiam liberi ejus fiunt in ejusdem potestate tanquam nepotes. Sic etenim D. Augustus non ante Tiberium adoptavit quam in Germanicum adoptasset, ut protinus adrogatione facta inciperet Germanicus Augusti nepos esse.

## NOTA.

11. Per sacrum Oraculum] Per Principem, l. 2. ff. de adopt. Per Principis rescriptum, sive ex indulgentia Principali, ll. 2. & 6. C. cod. Periphrasis est adrogationis.

## COMMENTARIUS.

**Q**uod hoc §. proponitur proprium effectum est adrogationis; nempe non solum cum qui adrogatur transire in potestatem patris adoptivi sed etiam liberos qui in ejus potestate erant, tanquam nepotes, l. 49. ff. hoc tit. In adoptione autem hoc non similiter contingit, in qua si tantum transit qui adoptatur non etiam liberi ejus. Ratio differentie in promptu est; nam in adoptionem dantur filii familias quorum liberi sunt in potestate alicuius nempe ejus qui in adoptionem dat, ideoque etiam in illius potestate remanent, l. 28. cod. Adrogantur autem patres familias qui cum ipsi liberos suos in potestate habeant, nihil mirum si secum etiam illos in familiam & potestatem alienam transferant, l. pen. §. 2. de bon. post. sec. tab. Quamvis Germanicum adoptasset] Dubitaverat Augustus Germanicum sororis nepotem & cunctis laudatum rei Romane imponere; sed precibus uxoris evictus Tiberio Germanicum sibi Tiberium adscivit. Auctor Tacit. 4. annal. cap. 57. & Suetonius in T. b. cap. 13. scribit Tiberium prius eodem fuisse Germanicum adoptare quam ipse ab Augusto adoptaretur. Simile exemplum habemus apud Capitolinum in Antonin.

## TEXTUS.

De servo adoptato vel filio nominato à domino.

12. Apud Catonem bene scriptum refert antiquitas; servus si à domino adoptatus sit ex hoc ipso potest liberari. Unde & nos eruditi in nostra constitutione etiam cum servum quem dominus adit interdicentibus filium suum nominaverit liberum esse constitutum, licet hoc ad jus filii accipiendum non sufficiat.

## COM-

## COMMENTARIUS.

**A**pad Catonem] Parum refert apud Marcum esse Catonem principem familia Porcia hoc scripsum fuerit, et apud filium ejus. Ambo sane & Jurisconsulti fuerit & libros de jure civili reliquerunt, filius etiam plurimos teste Pomp. l. 2. §. 38. de orig. jur. VINN. De Catonis filii scriptis ad jus pertinentibus conferendus Gellius lib. 13. cap. 18. Ejus & alias fit mentio in jure nostro, l. 10. §. 1. ff. de edil. edict. l. 41. ff. 101. matrim. Grot. de vit. iter. lib. 1. c. 5. HEIN. Ex hoc ipso liberari] Satis apparet his verbis Justinianum significare velle servos ad domino adoptatos non jus filiorum sed libertatem duntaxat consequi, atque inutilem qui-

dem esse hanc adoptionem sed vim tamen manumissionis habere. Nec dissimile admodum est quod Ulpian, scribit inutilem adoptionem habere vim pacti sive utile pactum, l. 8. de accept. VINN. Immo servum auctore Praetore adoptatum non solum libertatem verum etiam jura filii consequuntur esse, diserte scribit Gell. lib. 5. c. 19. Unde Justinianus non loqui videtur de adoptione servus, sed de casu si dominus servum adacta sorte filium vocarit. HEIN.

Nostra constitutione] l. un. §. 10. C. de Lat. lib. toll. Aliis intervenientibus] Id est apud acta, coram magistratu in jure, l. 2. ff. de appell. l. 3. C. de fid. instrum. D. Hocomannus putat necesse esse ut dominus servum ad magistratum deducat, & testato denunciat se vel eum pro filio habere, utque acta super eo conficiantur.

## TITULUS XII.

## QUIBUS MODIS JUS PATRIÆ POTESTATIS SOLVITUR.

Dig. lib. 1. tit. 7. Novell. 81. Part. 4. tit. 18.

Ratio ordinis, & summa tituli.

**M**Os hic est perpetuus Jurisconsultorum ut expositis iis quæ ad constitutionem alicujus rei valent subdiciantur contraria sive ea quæ ad ejus rei immutationem aut dissolutionem pertinent. Itaque cum hæc visum sit quibus modis jus patriæ potestatis constituitur, recte nunc subdiciantur modi quibus jus illud solvitur. Ejusmodi autem septem fere hoc titulo proponuntur, mors patris aut avi, deportatio, servitus poenæ, dignitas patriciatus, captivitas, emancipatio, adoptio.

## TEXTUS.

## Scopus &amp; nexu. De morte.

Videamus nunc quibus modis ii qui alieno juri sunt subditi eo jure liberentur. Et quidem quemadmodum liberentur servi à potestate dominorum ex iis intelligere possumus quæ de servis manumittendis superius exposuimus. Hi vero qui in potestate parentis sunt mortuo eo sui juri fiunt. Sed hoc distinctionem recipiunt: nam mortuo patre, sane omnimodo filii filiaque sui juri efficiuntur, mortuo vero avo non om-

nimodo nepotes neptores sui juri fiunt, sed ita si post mortem avi in potestate patris sui recitari non sunt. Itaque si mortuus avo pater eorum vivit & in potestate patris sui est, tunc post obitum avi in potestate patris sui fiunt. Si vero it quo tempore avus moritur aut jam mortuus est aut per emancipationem exiit de potestate patris, tunc ii qui in potestate ejus cedere non possunt sui juri fiunt.

## L. 1. tit. 18. Part. 4.

## NOTA.

Per emancipationem exiit] Hoc Glossema esse vel ex eo apparet quod & aliis modis exire de potestate patris filius potest. Theophil. no. agnoscit, & ex libris vet. notant Cujac. Hotomann. & Fabrot.

## COMMENTARIUS.

**M**ortuo eo sui juri fiunt] Cum paterfamilias moritur, quoque capita ei subiecta fuerunt singulas familias incipiunt habere; singuli enim paterfamilias nomen subeunt, l. 125. §. 2. de verb. sign.

Mor-

## QUIBUS MODIS JUS PATRIÆ POTESTATIS &amp;C.

**M**ortuo patre sane comminudo] Mortuo nimirum patre in cuius potestate filii erant. Nam qui in avi sui non in patris potestate sunt, mortuo patre non efficiuntur sui juri sed in potestate avi sui remanent, adeoque quasi agnascendo avo suo fiunt sui heredes, §. 2. inf. de ex. lib. l. 13. de injuri. rupt. testam.

In potestatem patris sui recitari non sunt] Nepotes ex filio, mortuo avo recidere solent in potestatem filii, hoc est patris sui, l. 5. de his qui sui vel al. jur. Sed hoc non est perpetuum. Nam si quo tempore avus moritur, pater eorum aut jam mortuus sit, aut per emancipationem exiit de potestate patris sui, nepotes in potestatem patris sui non recidunt sed sui juri fiunt. Quin etiam sufficit semel exiisse. Finge filium quem pater adoptaverat in potestatem patris sui revertisse, puta à patre adoptatum esse: nepos retentus post mortem avi non recidit in potestatem patris sui sed omnimodo sui juri efficitur, l. 41. de adop. Hi quos dignitas suæ potestatis facit jura legitima intacta retinent, eorumque filii post mortem avorum in eorum potestatem revertuntur, Nov. 81. cap. 2.

## TEXTUS.

## De deportatione.

1. Cum autem is qui ob aliquod maleficium in insulam deportatur civitatem amittit, requiritur ut qui eo modo ex numero civium Romanorum tollitur perinde quasi eo mortuo desinant liberi in potestate ejus esse. Pari ratione & si is qui in potestate parentis sit in insulam deportatus fuerit desinit esse in potestate parentis. Sed si ex indulgentia Principis restituti fuerint per omnia, pristinum statum recipiunt.

## L. 2. Tit. 18. Part. 4.

## COMMENTARIUS.

**I**n insulam deportati] Etiam deportatione patria potestas solvitur: nam cum hæc potestas propria sit civium Romanorum, §. 2. cap. de patr. per. fieri non potest ut qui civis Romanus non sit filium habeat in potestate. Deportatio num. est capitis minutio, qua qui afficitur in numero civium esse desinit, §. 2. inf. de cap. dem. ubi plura dicemus.

Perinde quasi es mortuus] Nam intereunt homines non solum morte verum etiam maximi & media capitis deminutione, l. 63.

§. ult. pro soc. l. 1. §. 8. de bon. poss. cont. tab. quæ ob id vulgo mors civilis dicitur. Vitiosam autem apparet esse hujus loci constructionem; quæ constabit, si cum D. Hotom. legamus: ut eo qui eo modo ex numero civium tollitur, perinde quasi mortuo, &C. transposito videlicet posteriore eo. VINN. Posset etiam una adjecta litera pro qui rescribi quia. Ita enim & Theophilus legisse videtur. HEIN.

Pari ratione] Nihil hic interest filius deportatus sit an pater, neque enim magis civis Romanus peregrinum in potestate habere potest quam peregrinum civem Romanum, Ulp. tit. 10. §. 2. Theophil. ibi.

Ex indulgentia Principis restituti] Nempe plenissime & in integrum, l. 1. C. de sent. pass. Nam simplex & generalis restitutio poenæ tantum gratiam facit redditumque in patriam concedit. Add. l. 2. §. 6. & 9. C. d. rit. & D. Tuld. C. ibid. Christin. vol. 4. decis. 208.

## TEXTUS.

## De relegatione.

2. Relegati autem patres in insulam in potestate liberos retinent, & liberi relegati in potestate parentum remanent.

## L. 3. tit. 18. Part. 4.

## COMMENTARIUS.

1. Cur deportati civis esse desinant, relegati non item.

1. **R**elegati sive in insulam sive simpliciter certis provinciis interditi omnia sua jura retinent; nec refert in perpetuum an ad tempus relegentur, l. 4. l. 7. §. 3. de interd. & rel. Sed & bona sua omnia retinent, nisi parte bonorum nominatione adempta in perpetuum relegentur, dist. l. 4. dist. l. 7. §. 4. Quæ autem ratio est quo, deportati hæc omnia cum civitate amittant, relegati non item? Diversitas intelligi poterit ex verbis sententiæ & forma executionis. Nam deportati perpetuo exilio multati jubebantur compediibus vinciti & navigio impositi à servis publicis constitutum in solitudine nem arcti; quæ cædem ratio eo manifeste a peregrinitatem redige, & exilium (extorres) facit, l. 17. §. 1. de pan. Relegatis autem dies prastituebatur intra quem excederent. Mortis enim erat ita pronuntiari: Illum provincia illa insulique relego; excedereque de-

88-

bebūt intra illum diem, l. 7. §. 17. de int. & rel. Quæ sententia existimationem quidem civis minuit, sed non consumit aut caput eximit de civitate, l. 7. §. 2. de extr. cogn. Nomen exilii commune est, exulesque non deportati solum sed & relegati atque interdicti appellantur, ll. 4. & 5. de interd. & rel. l. 4. de pen. l. 28. §. 2. & l. 29. de excus. quippe omnes extra solum missi sive solo patrio expulsi, unde exulem dicit auctores sunt Festus, Nonius & Quintil. de clam. 336. Plurimque tamen & quasi proprie exilium proprie non sit, cum jus civitatis retineatur, l. 2. de publ. jud. Hinc & Ovidius se non exulem esse scribit sed relegatum, de tristib. lib. 2. eleg. unic. v. 137. & 5. eleg. 2. v. 57. & 61. VINN. Proinde quæ de relegatione hoc loco Justinianus addidit alio non pertinent quam ne quis ea, sicuti deportatione, patriam quoque potestatem solvi existimaret. ADDIT.

## TEXTUS.

## De servitute pœnæ.

3. Pœna servus effectus filios in potestate habere desinit. Servi autem pœnæ efficiuntur qui in metallum damnantur & qui bestiis subjiciuntur.

## L. 2. tit. 18. Part. 4.

## COMMENTARIUS.

SI is qui civitatem retenta libertate amittit liberos in potestate habere desinit & mortui loco habetur, quanto magis qui cum civitate simul & libertatem? Servitutum enim vel maxime mortalitati. Veteres comparabant, ll. 32. & 209. de reg. jur.

Pœna servus] Pœnæ servus dicitur qui non alium dominum habet quam ipsam quodammodo pœnam cui adductus est. Ideoque si quid tali servo legatum sit pro non scripto esse, quasi non Cæsaris servo datum sed pœnæ Marcian. respondit l. 17. ff. de pen. Ceterum non solum servitute pœnæ cuius solius hic fit mentio, verum etiam quovis alio genere servitutis patriâ potestas solvitur, puta si liber homo major 20. annis ad pretium participandum se vendidit passus sit; aut si libertus ingratiudinis convictus redigatur in potestatem domini, §. 1. inf. de cap. dem. Quominus qui ab hostibus capiuntur huc pertinent, facit jus postliminii & lex Cornelia testamentaria, §. si ab hostibus §. inf. hoc tit.

Qui in metallum damnantur] In metallum vel in opus metalli damari dicitur qui ad effodiendum metallum, cuius varia sunt genera, damnantur; quamquam inter eos qui in metallum & eos qui in opus metalli damnantur differentia est in vinculis, quod huc non pertinet, l. 8. §. 4. & 6. de pen. Diversa pœna fuit eorum qui in opus publicum dari dicitur, l. ult. de off. pub. Hi enim civitatem damtaxat amittebant libertate salva, l. 17. §. 1. ff. de pen. quibus hodie nonnulli comparant qui ad tirremes damnantur.

Qui bestiis subjiciuntur] Hi sunt qui passim ad bestias damari & ad bestias dati dicitur (Dio lib. 58. τὸς τοῖς bestias ex xarabibus δειδωκένους appellat) & statim consumuntur, hoc est statim post damnationem feris obijciuntur. Sunt & qui damari non feris obijciuntur. Sunt & ipsi servi pœnæ reservantur, qui tamen & ipsi servi pœnæ fiunt; quales sunt qui damnantur in ludum sive venatorum sive gladiatorum, d. l. 8. §. 11. de pen. l. un. C. Theod. ad leg. Fab. de quo vide Budæ. in annot. poster. Cujac. 13. obs. 10. Pet. Fab. 2. remerc. 11. Postremo omnes qui ultimo supplicio damnantur confestim pœnæ servos fieri existimo; hoc nimirum effectum ut statim libertatem & civitatem perdant, arg. ll. 12. & 29. de pen. l. 6. §. sed etiam 6. de injur. rupt. test. Jure novissimo servitus pœnæ sublata est, Nov. 22. c. 8. auth. sed hodie C. de dona. inter vir. & uxor. Cujus rei effecta ibidem notantur DD. VINN. Recte Vinnius existimat omnes ultimo supplicio damnatos factos esse servos pœnæ; cum enim civis extremo supplicio adfici non possit per legem Porcium, Liv. lib. 10. cap. 9. fingendum erat, eum qui hujusmodi delictum commiserat quod sanguine videretur expiandum non esse civem sed servum pœnæ. Et hæc est observatio viri eximii Ger. Nood probab. lib. 3. cap. 12. Hæc. Lege 4. Tauri cavetur damnatos ad mortem testamenta facere posse; quæ legē servitutis pœnæ sublata fuisse recte monent Interp. ad dist. leg. ADDIT.

## TEXTUS.

## De dignitate.

4. Filiusfamilias si militaverit vel si Senator vel Consul factus fuerit remanet in potestate patris; militia enim vel consularis dignitas de patris potestate filium non liberat. Sed ex

## QUIBUS MODIS JUS PATRIÆ POTESTATIS &amp; C.

ex constitutione nostra summa Patriciatus dignitas illico imperialibus codicillis præteritis filium de patria potestate liberat. Quis enim patitur patrem quidem posse per emancipationem modum potestatis suæ nexibus filium liberare, imperatoriam autem celsitudinem non valere eum quem patrem sibi elegit ab aliena extirpare potestate?

## NOTA.

Summa Patriciatus dignitas] Summa non quidem gradu sed duratione, nam Consulatus major est, Cic. pro Plancio c. 25. Dio. Halic. 4. 76. Baro & Cont. Extat constitutio in l. ult. C. de consul.

## COMMENTARIUS.

1 Patricii sub Imp. Constantinopolitani quos dicit.

SI militaverit] Milites multis privilegiis & prærogativis à Principibus donati sunt; nexu tamen patriæ potestatis iure sacramenti eos solvi noluerunt, l. 3. C. de cast. pac. l. 7. C. de patr. pot. Observandum obiter est militiae speciem quendam fuisse dignitatis, atque inde factum ut omnia fere officia etiam civilia militia postmodum dicta sint.

Vel si Senator vel Consul] Non obstat huic loco quod dicitur in l. antep. de his qui sui vel alien. jur. in publicis causis filiumfamilias pro patrefamilias haberi, veluti ut magistratum gerat &c. Hoc enim non significat filium consulatus libere munere publico liberari patri potestate, sed patriam potestatem non obstat quominus consul puta aut prætor creetur quominus munia magistratus sui obeat etiam impugnantem patre, atque adeo aliter adversus patrem, l. 13. in fin. & l. 1. seq. ad ten. Trib. Nonnulli hoc faciunt quæ scribit Gel. 2. mod. Attic. 2.

Ex nostra constitutione] l. ult. C. de consul. Non tamen à Justiniano hoc primum constitutum videri potest, cum & apud Cassiodorum qui ante Justinianum sub Theodorico Gothorum rege vixit, in form. patriciatus lib. 6. var. cap. 3. hoc scriptum sit Leges, inquit, tantam Patriciis dignitatem detulerant. ut in sacris positus cum hoc fuerit honore præcinctus paternæ potestatis nexibus exuatur. Quod autem Justinianus in d. constit. Patriciatum tribuit, id postea produxit etiam ad alias dignitates, & ad eas omnes quæ à curia liberant, nominatimque ideam jus concessit Consulatu, Præfecturæ prætoriarum, Præfecturæ

Tom. I.

urbicæ, Prætoræ, Magisterio militum, & denique Episcopatu, Nov. 81. in pr. cap. 1. & 3. VINN. Dum negat auctor Justinianum id privilegium patriciis primum tribuisse Bachovium, ut solet, sequitur. Sed ejus argumentum parum stringit. Cassiodorus enim non solum sub Theodorico sed & sub Athalarico immo & Theodahado & Vinge vixit, & negotia publica tractavit; adeoque Justiniani constitutionem anno circiter 530. scriptam videre potuit. Præclare id demonstravit vir clar. Reinoldus var. c. 19. Hæc.

Summa Patriciatus dignitas] Stante Rep. Patricii dicebantur qui eorum Senatorum progenies erant quos Romulus creaverat. Antiquissima quoque cuiusque senatoris familie liberi ætate Livii Patricii appellabantur. Verum longe aliter Patricii in constitutionibus recentiorum Imp. accipiendi sunt. Nam translato Constantinopolim Imperio coepere Principes ex Senatoribus qui curulibus magistratibus functi erant, sibi consiliarios & quasi patres legere, quos Patricios dicit placuit, quasi patres communes Reip. auctor Suida. Atque ex eo tempore Patriciatus nomen esse coepit supremi Consilii.

Codicillis præteritis] Codicilli apud Latinos inter alia significant diplomata sive litteras Principales quibus honores mandantur, ut apud Sueton. in Claud. cap. 29. & in l. 41. ff. de excus. tut. leg. 22. C. de dign. uri & hoc loco.

Quem sibi patrem elegit] Patricii Imp. Constantinopolitani parentum loco erant; quæ parentis appellatio Claudio lepidi joci materiam tribuit. Is enim in Eutropium Patricium cuius bona publicata & in fiscum coacta erant, sic ludit lib. 2. in Eutrop. v. 49. Diripras quid plangis opeas quas mater habebit?

Non aliter poterat Principis esse pater. Quorum versuum hic sensus est. Eutropium æquo animo adversum fortunæ casum bonorumque suorum publicationem ferre debere; cum eo modo ad Principem qui ei filii loco fuerit & cuius ipse parens appellatur sit ea pervenerint. Extat constitutio Imp. Arcadii & Honorii in C. Theod. tit. de pen. qua hic Eutropius in insulam Cyprum, quo bonis publicatis & adenta dignitate relegatus erat, deportari jubetur.

## TEXTUS.

## De captivitate &amp; postliminio.

5. Si ab hostibus captus fuerit parens, quam

M

112

vis servus hostium fiat, tamen pendet jus liberorum propter jus postliminii, quia hi qui ab hostibus capti sunt si reversi fuerint omnia pristina jura recipiunt; idcirco reversus etiam liberus habet in potestate, quia postliminio frangit eum qui captus est in civitate temporis fuisse. Si vero ibi decederet, exinde ex quo captus est pater filius sui juris fuisse videtur. Ipse quoque filius neposve si ab hostibus captus fuerit, similiter dicimus propter jus postliminii jus quoque potestatis parentis in suspensio esse. Diffam autem est postliminium à limite & port. Unde eum qui ab hostibus captus est & in fines nostros postea pervenit postliminio revertitur recte dicimus. Nam limina sicut in domo finem quendam faciunt, sic Imperii finem esse limen Veteres voluerunt. Hinc & limen dictum est quasi finis quidam & terminus. Ab eo postliminium dictum est quia ad idem limen revertebatur quod amiserat. Sed & qui captus videtur hostibus recuperatur postliminio rediisse existimatur.

### COMMENTARIUS.

- 1 Quando quis postliminio reversus intelligatur, tum quibus in locis postliminium sit.
- 2 Quae res postliminio recipiantur aut redeant.
- 3 Jus patris ab hostibus capti non extinguunt sed in suspensio esse.
- 4 De origine vocis postliminii.

Quamvis servus hostium fiat] Constat eos qui ab hostibus capiuntur jure belli servos hostium fieri, & consequenter desinere liberos habere in potestate. Verum Romani qui ex suis capti essent servorum numero apud se haberi non debere censuerunt, nihilque eorum cum effectu amittere quae alias per servitutem amitti solent. Cumque fieri posset ut capti ad suos revertentur & fieri item ut apud hostes decederent, in utrumque eventum captis prospexerunt, in illum fictione juris postliminii, in hunc fictione legis Corneliae.

1. Qui si reversi fuerint] Pomponius revertum postliminio ait qui intra praesidia nostra esse capiti, l. 5. §. 1. ff. de capti. Paulus, cum in fines nostros intraverit, l. 19. §. 3. eod. Sed ex paritate rationis consensus gentium rem eo perduxit, ut postliminium locum haberet etiam in quis homo, aut res cui postliminium esse placuerat, pervenisset ad amicos nostros, ut loquitur d. loco Pompon. aut, ut Paulus exempli causa explicat, ad

### LIB. I. TIT. XII.

Regem socium vel amicum. Quibus in locis amici aut socii intelligendi sunt non simpliciter quibuscumque pacem habemus, sed qui partes in bello eandem sequuntur: ad quos qui venerunt, ut Paulus loquitur, nomine publico tui esse incipiunt; qua de re pluscula D. Grot. 3. de jure belli, & pac. 9. n. 2.

2. Omnia pristina jura] Puta civitatem, familiam, bona sive eorum dominium. Recte autem jura, l. 5. §. 1. & 12. §. 6. de capti. & post. rev. nam ea quae facti sunt postliminio non continentur, qualis est verbi causa possessio, quae idcirco interrupta captivitate non restituitur, l. 19. ex quib. ca. mf. l. 23. §. 1. de acq. poss. Sicut autem postliminio reversus jura recipit, ita & in ipsum jura restituitur, l. 6. & 12. §. 6. de capti. Necque homines solum, sed etiam agros, l. 10. §. 1. eod. adeoque quodvis suo solo adhaerens postliminium habet per l. 6. de rer. div. uti & loca sacra ac religiosa, l. 36. de relig. At rebus movilibus postliminium non est: excepte tamen nares longae atque oneratae multi clientelari equi & equae frenum patientes, l. 2. de capti. l. 1. Gall. Ael. apud Fesc. Marcell. Cic. in Top. Gall. Ael. apud Fesc. Marcell.

Quamquam hodie, ut passim tradunt morum periti, nulla res mobiles postliminio redeant, ne nares quidem. Vide Grot. d. cap. 9. n. 13. & seqq. D. Tulden. comment. ad tit. de rer. div. cap. 30.

3. In civitate semper fuisse] Non igitur tam captivitate patria potestas amissa reverso patre restituitur, liberive captivitate patris sui juris facti eo reverso iterum in potestate ejus esse incipiunt, quod velle videtur D. Myns. quam pater fingitur retro in civitate fuisse, liberosque in potestate etiam tempore captivitate retinuisse, d. l. 12. §. 2. l. 16. l. 22. §. 2. eod. l. 6. §. ult. de tutel. Nec alio qui recte diceretur statum liberorum pendere aut in incerto esse, ut hic, & d. l. 12. & 22. nec acta à filio esse in pendenti, l. 1. §. 1. de senat. Mac. sed jus patris & liberorum captivitate patris extinctum postliminio restitui, acta à filio tantisper rata esse, at reverso patre infirmari. Non est autem levis momenti hae fictio: nam inde est quod quod filius medio tempore quaevis pater reversus tanquam sibi quaesita occupare possit jure peculi, etiam defuncto pridem filio, l. pen. de suis & leg. her. Inde quoque est quod patre reverso denegatur actio creditorum à quo filius dum pater apud hostes est mutuum pecuniam accepit, quasi contra SCtum. credita sit, l. 1. §. 1. de SC. Mac. Denique hinc est quod

Ulp.

### QUIBUS MODIS JUS PATRIS POTESTATIS &c.

### TEXTUS.

De emancipatione, item de modis & effectibus ejusdem.

Ulp. responderet non posse ei cujus pater in potestate hostium esse tutorem dari, l. 6. §. ult. de tutel. qui recte utique daretur si filii interim pro his qui sui juris sunt haberentur. Deportati & restituti patris alia ratio, l. ult. §. 1. C. de sent. pass.

Eninde ex quo captus est] Hae fictio est legis Corneliae, l. 12. qui testam. fac. §. ult. inf. quib. non est perm. fac. test. eaque in omnibus partibus juris servatur, l. 18. de capti. Ipse quoque filius] Quapropter si verbi gratia in potestate fuit filius eo tempore quo capiebatur, medio tempore patre mortuo, reversus suus heres patri erit, l. 29. C. de post. rev.

4. à limite & post] De notatione nominis postliminii controversia olim fuit inter Sczvolam & Servium, teste Cic. in Top. Sczvola junctum dicebat esse verbum à post quod reditum notat, & limite. Servius in eo nihil spectandum præter propositionem post, reliquum productionis esse caudam, liminium. Sed recte Sczvola cui & Festus assentitur. Nam limen & limes exitu tantum & flexionis modo differant, origine autem (veniunt enim ab antiqua voce limus quae transversum significat) & primitiva notione idem sunt; sicut materia & materies, contagio & contagies &c. quamquam usu serio factum est ut limen magis ad privata, limes ad publica referretur. Sic veteres eliminare dicebant & finibus ejicere, & exilium nominabant eliminium. Grot. d. cap. 9. in pr. de jur. belli. Jos. Scal. annot. in Fesc.

Ab hostibus recuperatur] Ad jus postliminii nihil interest quomodo captus revertatur, utrum dimissus, an vi vel fallacia, aut vitio postea hostibus; sive ut Homerus Odys. 14. Η δία, ἢ ἄλλῃ, ἢ ἀφάδι, ἢ ἀφροδίτῃ (Seu dolo, sive vi, seu palam, sive occulte) ita tamen si ea mente fuerit ut illo non revertetur, l. 26. ff. de capti. Et ideo Attium Regulum responsum est, non esse postliminio revertum quia juraverat Carthagini se reversurum, l. 5. §. 3. d. tit. Grot. d. lib. 3. cap. 9. Vinn. Immo & ad redemptio hoc jus pertinet, dummodo ei qui redemptum lytrum fuerit redditum, l. 12. §. 7. l. 15. & 20. ff. de capti. Hein. Hodie capti ab hostibus statum non mutant, quod jam de his qui à Turcis & Sarracenis capiuntur quoad jus effectus obtinere tradit Covarruvias in cap. peccatum pari. 2. n. 12. & Ayala de jur. belli lib. 1. c. 5. n. 19. in fin. ADDIT.

6. Praeterea emancipatione quoque desinunt liberi in potestate parentum esse. Sed emancipatio antea quidem vel per antiquam legit observationem procedebat, quae per imaginarias venditiones & intercedentes manumissiones celebrabatur, vel ex Imperiali rescripto. Nostra autem providentia etiam hoc in melius per constitutionem reformavit, ut fictione pristina explorata rella via ad competentes Judices vel Magistratus parentes intrent, & filios suos vel filias vel nepotes vel nepotes ac deinceps à sua manu dimittant. Et tunc ex editto praetoris in bonis ejusmodi filii vel filiae vel nepotes vel nepotes quae à parente manumissus vel manumissa fuerit, eadem jura praestantur parenti quae tribuuntur patrono in bonis liberti. Et praeterea si impubes sit filius vel filia vel ceteri, ipse parente ex manumissione tutelam ejus nunciatur.

### L. 18. tit. 18. Part. 4.

### NOTA.

6. Emancipatione] Emancipatio hodie definiti potest, actus legitimus quo liberi à manu patris apud competentem judicem dimittuntur, tot. tit. C. de emancip. liber.

### COMMENTARIUS.

- 2 Vestus emancipandi ratio exposita.
- 2 Patroni & parentis emancipatoris comparatio.

1. Alius modus solvendi patrie potestatis hoc §. proponitur, nempe emancipatio; eaque dicitur olim celebrata fuisse per imaginarias venditiones & intercedentes manumissiones. Hoc autem ut penitus intelligatur sciendum est lege Romuli cautum fuisse atque à Decemviris postea in quartam tabulam relatum, ut si pater filium ter, filium autem & ceteros liberos semel mancipasset, hoc est vendidisset, manumissus postea ab emtore sui juris efficeretur; ille trina manumissione, hi noxia. Ad ejus emancipationis imaginem atque usurpationem veterastis postea institutum est, ut pater simulato & dicitur causa, accepto uno nummo, filium ter, ceteros liberos semel apud magistratum venderet, contra cum emtore fiducia, qui ob id pater fu-

M 2

du-

ducarius appellabatur, ut is acceptos manumitteret, si iuriter, ceteros semel, atque ita liberi sui iuris ac potestatis erant. Solebat autem pater naturalis sibi cavere de filio post certam emancipationem sibi remanipando, itemque de ceteris liberis sibi remanipandis, quo ipse potius eos manumitteret & jura patroni consequeretur quam extraneus manumissor sive emtor ille imaginarius. Atque hac cautione interposita in specie dicitur emancipatio fieri contra fiduciam, §. ult. inf. de leg. agn. succer. Hæc ex l. ult. C. de emanc. lib. Dionys. Halicarn. lib. 2. Boet. in Top. Cic. Cajo lib. 2. tit. 6. Ulpian. tit. 10. VINN. Ordinem aliquantulum turbasse videtur Vinnius. Pater filium primo vendebat & mancipabat per æs & libram. Emtor eundem manumittebat. Cum vero manumissus ex lege Romuli in patriam potestatem recideret, pater eum iterum vendebat, emtor iterum manumittebat. Cum & ita recideret in potestatem patris, hic eum tertio mancipabat addito contracta fiducia ut emtor eum remaniparet patri. Quo facta hic eum manumittebat, adeoque tanquam manumissor jura patronatus retinebat in filio. Vid. nost. antiq. Rom. h. t. 12. §. 5. & seqq. HEIN.

Ex Imperiali rescripto] Hic modus emancipandi ab Imperatore Anastasio introductus est, qui etiam neglecta antiquæ emancipationis fabula, potestatem ab Imperatore impetrata ejusque rescripto apud magistratam exhibito, liberos emancipari permisit, modo filius infante major consentiret, l. 5. C. de emanc. lib.

Etiam hoc in melius reformavit] Nimirum quod Anastasius de precibus super emancipationem Principi offerendis ejusque rescripto prius impetando constituerat, ut jam ex constitutione Justiniani emancipatio etiam fiat sola professione patris apud competentem judicem denuntiatis se filium suo juri permittere. Exat constitutio l. ult. C. de emanc. lib.

Ad competentes Judices vel Magistratus] Explicative. Nam & magistratus qui tribunali aut jurisdictioni præsunt judices appellantur, l. 1. de judic. rot. tit. de reb. aut. jud. poss. & passim in constitutionibus posteriorum Imperatorum. Quod modo eo, ne quis putet judicem hic intelligi pedaneos sive qui à magistratibus causis privatis cognoscendis & iudicandis dabantur; apud quos lege agi non potuisse plerumque manifestum est. Sed nec apud eum qui mandata et jurisdictionis legis actionem fuisse Marcian. & Ulp. testantur l. 2. §. 1. l. reg. ff. de offic. procons. de quo plura ad §. 8. inf. hoc tit.

A manu sua dimittant] Manumitti non tantum servi à domino sed etiam filii & filiarum milias à patre dicuntur, pro emancipari, tit. ii à par. quis man. propterea quod jure antiq. in patris sui manu mancipioque erant, & vendit ac mancipati in servilem causam redigebantur, licet postea in imaginariam duntaxat, l. 3. §. 1. de cap. min. Hinc emancipatus à patre liberi exitum pati dicitur, & patris patroni personam sustinere, l. 1. ii à par. quis man.

Ex edicto pretoris eadem jura] Nimirum ut patris exemplo patroni ad contra tabulas bonorum possessionem admittitur si testamento facta ab emancipato præteritus sit, ll. 1. & 3. ii à par. quis man. Sed & jus legitime successionis huic patri à Justiniano datum est, perinde quasi contracta fiducia eum emancipasset, hoc est ex lege fiducia sibi remanipatum manumississet, §. ult. inf. de leg. agn. succ. Et hoc ad similitudinem patroni, quem ad hereditatem liberi intestato sine liberis mortui jam olim lex XII. tabularum vocabat, inf. de succes. libert. Non tamen utique adeo exaquatur patrono parens ut etiam liberi ejus ad successionem aut contra tabulas bonorum possessionem veniant, l. 1. §. 1. liberos, ii à par. quis man. aut ut etiam actio Calvisiana parenti detur, l. 4. eod. aut denique ut recte stipuletur à filio operas, l. 4. eod. Jure Authentico plenissime de ratione succedendi cautum est, ex quo patris manumissor jure patroni quoad emolumentum successionis uti desit, Nov. 117. cap. 2. Nov. 118. cap. 4.

Tutelam ejus nascitur] Consequens erat eum onus tutelæ subire qui speraret successionem, l. 1. de legis. tut. Agitur de hac tutela inf. tit. 18.

## TEXTUS.

Si alii emancipentur, alii retineantur in potestate.

7. Admonendi autem sunt liberum arbitrium esse ei qui filium & ex eo nepotem vel nepotem in potestate habet, filium quidem de potestate demittere nepotem vero vel nepotem retinere; & converso filium quidem in potestate retinere nepotem vero vel nepotem manumittere; vel omnes sui juris efficiere. Eadem & de pronepote & pronepote dicta esse intelliguntur.

## COMMENTARIUS.

Torus hic locus descriptus est ex Cajo l. 1. 28. de adopt. Illud hic queritur, an

an ejus quoque qui à parente manumittitur voluntas spectanda sit, an vero etiam invitus emancipari possit? Et puto idem hic dicendum quod de eo dicitur qui à patre in adoptionem datur, §. seq. l. 24. ff. de adopt. l. 5. C. eod. nimirum necesse non esse ut expresse consentiat, ceterum oportere eum non dissentire aut contradicere, arg. l. pen. in fin. C. de emanc. lib. Nov. 89. cap. 11. Paulus quoque lib. 2. ten. 29. in fin. scribit invitum filium fam. non emancipari. An autem & quando qui tacet consentire intelligatur non est hujus loci disputare. Tractant tamen hanc questionem Jo. Fab. Ang. & Myns. ad hunc locum VINN. Ad consensum filiorum quod actinet bene habent ll. 16. & 17. tit. 18. Part. 4. ADDIT.

## TEXTUS.

## De adoptione.

8. Sed & si pater filium quem in potestate habet avo vel proavo naturali secundum nostras constitutiones super his habitis in adoptionem dederit, id est si hoc ipsum actus intervenientibus apud competentem judicem manifestaverit, præsertim eo qui adoptatur & non contradicente, nec non eo præsertim qui adoptat, solvitur quidem jus potestatis patris naturalis, transit autem in hujusmodi parentem adoptivum, in cuius persona & adoptionem esse plenissimam antea diximus.

## COMMENTARIUS.

1 Antiquitas nevirquam alieno nomine lege agi potuisse; & tanque naturam actus voluntarie jurisdictionis retinuisse.

2 Actus voluntarie jurisdictionis expediri non posse apud eum qui jurisdictione mandata est.

Avo vel proavo naturali] Nam si extraneo in adoptionem datus sit jura patris naturalis integra manent, l. pen. C. de adopt. §. 2. sup. eod. ut dictum est.

Apud competentem judicem] Non apud judicem pedaneum cuius nulla jurisdictione est, sed apud ipsam magistratam & eum qui legis actionem habet, ut notavimus ad §. 6. hujus tit.

Et non contradicente] Hoc etiam paulo antea tetigit. Locus autem hic descriptus est ex l. ult. C. de adopt. facit l. 5. ff. eod.

Necnon eo præsertim qui adoptat] Absens adoptare non potest, l. 25. §. 1. de adopt. quia ut ait Ibi Jurisconsultus, nemo per alium ejusmodi solemniter peragere potest. Atque eo pertinere arbitror quod regula juris in genere

definit, neminem alieno nomine lege agere posse, l. 123. de reg. jur. Quod olim quidem commune fuisse verisimile est omnium legis actionum, etiam earum quibus civis inter se disceptabant & que pertinebant ad contentiosam jurisdictionem, arg. pr. tit. Inst. de iur. per quos ag. poss. sed postea proprium tantum quorundam esse cepisse, & maxime eorum actuum qui, quod inter volentes expediantur, dicuntur esse voluntarie jurisdictionis; cujusmodi sunt manumissio, adoptio, emancipatio, que veterem naturam retinuerunt, l. 3. de vind. lib. l. 24. & l. seq. §. 1. de adopt. etiam adoptio nova Justiniani, ut hic, & d. l. ult. C. de adopt.

2. Idem quoque probabile est observatum fuisse in persona magistratus. Existimo enim nec hujusmodi actus magistratibus mandari potuisse, neve mandata jurisdictione transisse in eum qui mandata esset; contra quam LD. vulgo sentiunt, arg. l. 1. C. de adopt. l. 2. §. 1. l. 3. de offic. proc. Ex quibus locis dicitur ea que sunt voluntarie jurisdictionis non nisi apud eum expediri posse apud quem plena legis actio est; eum autem cui mandata est jurisdictione talem jurisdictionem non habere, adeoque omnino non esse apud eum legis actionem. Negotium tamen facit l. 17. §. 1. de man. vid. Cujacius 2. obs. 1. & 15. obs. 19. negationem inserit. Alii pro (apud legatum ejus) legunt (Cæsaris) suspicantes errorem ex notis natum ejus & Cæsaris VINN. Posterior emendatio non minus violenta, ac prior. Ego hic antiquitatem inter l. 17. §. 1. ff. de man. vind. & ll. 2. & 3. ff. de off. proc. agnosco, inde forsitan ortam quod Tribonianus de legatis Cæsaris pro consule dixerat. Facilis enim lapsus fuit in vocabulis, legatus proconsulis & legatus pro consule. Ille mandata jurisdictione gaudebat, hic tanquam præses provincie propria, & adeoque & legis actio apud illum erat, ll. 2. & 17. ff. de off. præf. HEIN. Sed neque hæc Heineccii conciliatio animum plane sedat. Fuere autem simplicius Marcianum in l. 2. §. 1. de off. Proc. & seq. intelligere de Legato Proconsulis Urbe quidem egressi sed qui nondum Provinciam attingit; Paulum vero in l. 7. §. 1. de man. vind. de Legato qui Proconsul Provinciam factus, absensve, aut Reip. causa ab ea discessurus jurisdictionem suam committit? Vid. Jul. Pac. Cent. 1. n. 46. ADDIT.

Transit autem in parentem adoptivum] Per adoptionem igitur non efficitur filiusfamilias sui juris, sed vel in alienam familiam transit vel remanet in potestate patris naturalis.



## De nepote nato post filium emancipatum.

9. Illud scire oportet quod si nurus tua ex filio tuo conceperis, & filium tuum emancipaveris, vel in adoptionem dederis, pragnante nuru tua, nihilominus quod ex ea nascitur in potestate tua nascitur. Quod si post emancipationem vel adoptionem conceptus fuerit, patris sui emancipati vel avi adoptivi potestati subijcitur.

## COMMENTARIUS.

NEpos non ex nativitate sed ex conceptionis tempore familiam sortitur, quia ex eo tempore iam in rerum natura esse creditur, *ll. 7. §. 26. de stat. hom. Ulp. tit. 5. §. 9.* Sic & is qui conceptus est prius quam pater senatu moveretur senatoris filius intelligitur, *l. 7. §. 8. de senat.* Et responsum est conditionem si sine liberis decesserit defecisse, si ante deponationem patris liberi concepti sint licet postea edantur, *l. 17. §. 5. ad sen. Treb.*

## TEXTUS.

An parentes cogi possint liberos suos de potestate dimittere.

10. Et quidem neque naturalis liberi neque adoptivi ullo pene modo possunt cogere parentes de potestate sua eos dimittere.

## COMMENTARIUS.

QUEmadmodum liberi qui vel ab initio sui juris fuerunt vel postea facti sunt, in vii in potestatem patris non rediguntur, *l. 11. de his qui sui vel al. jur. Nov. 80. c. 11.*

## TITULUS XIII.

## DE TUTELIS.

Dig. tit. 1. lib. 26. & Novell. 72. Et Part. 6. tit. 16.  
Ratio ordinis.

Hucusque dictum est de iis qui sunt juris alieni, quæ prima pars est divisionis supra posite *tit. 8.* Superest ut ad eos nos conferamus qui sui juris sunt, quos pars altera dixit divisionis complectitur.

## TIT. XII.

ita nec vice versa à liberis in potestate constitutis cogi parentes possunt ut eos à potestate sua dimittant, *l. 31. ff. de adopt. l. 4. C. de emanc. lib.* ex quo loco etiam ratio hujus juris peti potest.

Pene] Ait pene, propterea quod aliquando adiunguntur qui emancipati desiderant, ut impubes qui adoptatus est, pubes factus, *l. 12. de adopt.* Sed & alios, si justa causa sit, audiri æquum est; veluti si à patre ad turpitudinem adigantur, *l. 12. C. de Episc. aud.* aut male contra pietatem afficiantur, *l. 5. si à patre. quis man.* Sed & is filium emancipare cogitur qui legatum ea conditione sibi relictum agnovit, *l. 92. de cond. & demost.* Et jure novissimo etiam de potestate patris exeunt liberi si pater incestas & nectarias nuptias contraxerit, *Nov. 12. cap. 2. VINN.* Quæ de hoc argumento Vinnius confirmantur *ll. 16. 17. 17. 18. tit. 18. Part. 4.* ubi enumerantur cause ob quas cogi parens potest ad liberos emancipandos.

Apud Hispanos singularis illa Romanorum in liberos potestas incognita est ut iam diximus. Præterea jus quod parentes in liberos habent propriis quibusdam modis solvitur, manente tamen semper naturali reverentia & obsequii debito. Primum enim generali Europæ consuetudine inducitur est ut filii qui matrimonio copulantur patria potestate liberentur, quod apud nos *l. 8. tit. 1. lib. 5. Recop.* statutur inconvenciens enim visum est eum qui filios educare debet sibi sufficere non posse. Ad hæc veluti tacite emancipantur liberi cum annuente patre seorsim habitare & mercaturam aut officium aliquod exercere resque suas sibi habere incipiunt; quod licet lege aliqua Regia spectatim statutum esse non meminerim; hujusmodi tamen patrumfamilias liberos pro *patrivisfamilias* haberi passim in nostris legibus licet observare. ADDIT.

## TEXTUS.

De personis sui juris.

Transitamus nunc ad aliam divisionem per-

## DE TUTELIS.

sonarum. Nam ex his personis quæ in potestate non sunt, quedam vel in tutela sunt vel in curatione, quedam neutro jure tenentur. Videmus ergo de his qui in tutela vel curatione sunt; ita enim intelligimus ceteras personas quæ neutro jure tenentur. Ac prius dispiciamus de his qui in tutela sunt.

## COMMENTARIUS.

1 Summa reliquorum hujus libri capitulum.

NAm ex his personis] Eorum qui sui juris sunt quidam sunt in tutela, alii in curatione, ceteri neutro jure tenentur; quæ posterioris partis illius quam dixi divisionis subdivisio est. In hac autem parte primo exponitur quid sit tutela; deinde species ejus singulæ ordine explicantur; tum de vi atque effectu tutela sive auctoritate tutorum porro agitur; ac mox de contrariis, & quibus modis tutela finitur. Inde ad curationem ac curatores progressio fit. Postremo tractatur de satisfactionibus excusationibus & suspicionibus quæ utriusque muneris communia sunt.

In potestate non sunt] Patria scilicet vel dominica, in quæ qui sunt non sui sed alieni juris sunt; alioqui & tutela species quedam est potestatis (quod verbum & alia plura significat, *l. 215. de verb. sign.*) sed quæ ad statum & caput ejus qui in tutela est non pertinet, nec ad commodum tutoris comparata est; sicut patria & dominica ad patris & domini. Pupillus enim non in manu aut familia tutoris sed sui juris est; nec illi acquiritur sed sibi.

## TEXTUS.

Tutela definitio.

1. Est autem tutela (ut Servius definit) vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum qui per ætatem se ipse defendere nequit, jure civili data ac permitta.

L. 1. Tit. 16. Part. 4.

## COMMENTARIUS.

VIS ac potestas] Ita & in *l. 1. pr. ff. hoc tit.* Generis loco ponitur *vis ac potestas*, quæ duo frequenter conjunguntur; ut in *l. 17. de legib. §. 3. Inst. inf. de interd.* & significatur *dominus*, *ignotus*, sive facultatem aut jus

pro auctoritate quid faciendi statuendive tum in persona pupilli tum in rerum pupillarum administratione. O' *manipula* (nomini communio seu affinitas) in verbo potestatis jam notata est.

In capite libero] Subjectum tutela; & est verus locutus, pro in caput liberum, ut in illo *xii. tabularum*: Si *farinus* exiit, *agnatorum gentiumque in eo pecunieque ejus potestas esto.* Item in formula adrogationis apud Agell. *cap. 19. Utique ei vita neque in eo potestas fiet.* Caput autem liberum pro homine libero Veteres dicebant. Cicero *4. Verrin. Hic de capite libero judicabit.* Liv. *lib. 31. cap. 21. Libera capita sine pretio dimisit.* Hinc caput liberum facere apud Plaut. *Mercat. act. 7. scen. 2. v. 41. seg. pro manumittere*; & eos plerumque qui etiam sui juris essent hoc verbo intelligebant; quo modo Apellius *d. loco* pupillum caput liberum appellat, id est sui juris. Alii hæc verba ad tutorem referunt, quod etiam per me licet.

Ad tuendum eum] Hæc verba finem tutela indicant, & simul officium tutoris; nam ut tutela pupillorum gratia constituta est, ita & ad utilitatem eorum tota referenda. Distinguuntur itidem tutelam à patria potestate quæ magis ipsius patris causa comparata est, sicut & dominica domini; cujusque vis non minus in coercendo quam in tuendo filio posita est. Innuunt præterea tutorem principaliter persone dari non certe rei aut causæ, in quo differt à curatore, *§. 4. seq. tit. junct. §. 2. inf. de curat.*

Qui per ætatem se ipse defendere] His verbis distinguitur tutela à curatione; quippe quæ comparata est eorum omnium causæ qui rebus suis ipsi superesse non possunt licet propter aliam causam quam ætatem, ut sunt furiosi, mente capti & qui perpetuo morbo laborant, *§. 3. & 4. inf. de curat.* In Florent. est, *propter ætatem.* Theoph. *dia. 77. de man. & arbor.*

Jure civili data ac permitta] Clausula hæc ad definitionem necessaria non est, sed ideo adjecta, ne quis putet hanc potestatem temere & pro arbitrio à quibusvis posse usurpari, aut ad eos qui non sunt cives Romani pertinere; nam tutela licet ortum ex jure gentium trahat, ad jus tamen civile referretur eo modo quo pleræque alia, ut nuptiæ, patria potestas, testamenta & cetera id genus.

Data ac permitta] Datur legitima, hoc est legitimi tutores immediate sine facto testatoris aut magistratus à lege ad tutelam vocantur, *l. 5. in pr. & l. 6. de leg. tut.* Permittitur, quæ prius